



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Theologia Moralis**

**Reiffenstuel, Anaklet**

**Monachii, 1699**

Distinctio Septima. De Confessione, quæ est altera Pars materialis  
Sacramenti Pœnitentiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40206**

cujus confitens antea fuit oblitus ; ergo, cum adhuc maneat, nihil obitat, quin possit deservire ad duo Sacramenta, cum censetur virtualiter multiplex.

Corollarium de moribundo,

63. Inferunt proinde Doctores, posse moribundum propter instans periculum mortis à Confessario absolvi audito uno, alterove peccato ; & deinde, si super sit tempus, auditis per ceteris iterato absolvi in virtute doloris præcedentis. Quod si quis velit eadem peccata repetere, ac denuo confiteri, tunc plures Doctores volunt, dolorem esse renovandum : quamvis nonnulli contradicant.

## DISTINCTIO VII.

### De Confessione, quæ est altera Pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ.

## QUÆSTIO I.

Quæ Conditiones requirantur ad Confessionem Sacramentalem ?

Confessio variè sumitur,

I. Confessionis nomen variè solet accipi. I. Pro Confessione cujuscunque veritatis : & sic confiteri sumitur Joan. I. *Et confessus est, & non negavit.* II. Pro Confessione Fidei : sic sumitur Marci 8. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, &c.* III. Pro Confessione laudis, quam DEO deferimus ob ejus beneficia, opera, & attributa : & sic frequentissimè sumitur in Psalmis, & alibi passim in S. Scriptura. IV. Pro Confessione judiciali in Foro externo : in quo sensu dici solet : *Propria confessio est optima probatio.* V. Pro Confessione Sacramentali, prout hæc est altera pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ ; & in hoc sensu agitur hic de Confessione.

Et quomodo in proposito ?

Confessio Sacramentalis, quid, & quomodo necessaria ?

2. Definitur autem Confessio Sacramentalis taliter : *Confessio est accusatio legitima de proprijs peccatis, facta coram Sacerdote, ad eorum veniam impetrandam virtute Clavium.* Ubi ly, *accusatio*, stat loco generis, reliqua ponuntur loco differentie ; prout ex professo dictum fuit *Tract. 10. Dist. 3. num. 1. & seqq.* ubi explicando quartum Præceptum Ecclesiæ, simul de institutio-

ne,

ne, atque necessitate Confessionis Sacramentalis, fusiùs agitur.

3. Quantum igitur nunc attinet ad alia, atque inprimis ad conditiones Confessionis Sacramentalis, earum sedecim communiter à Doctoribus enumerantur, hisce versiculis comprehensæ :

*Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis.  
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda.  
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata.  
Fortis, & accusans, & sit parère parata.*

4. Observandum tamen, non omnes istas conditiones esse simpliciter necessarias ad Confessionem, benè tamen utiles, ac valde proficuas; prout patet præsertim in illis duabus conditionibus, quòd sit *Frequens*, & *Accelerata*. Nam, licèt sit confutissimum, atque utilissimum, post admissum peccatum gravius quamprimum confugere ad Sacramentum Pœnitentiæ per veram peccatorum Confessionem, ad id tamen homo non obligatur. (a) Neque tenetur quis per se loquendo, ac extra certos casus (b) intra annum sæpius confiteri, quamvis procul dubio id sit utilissimum, ac summè commendandum. Porro cæteræ conditiones, commodè ad hæc tres reducuntur, nempe, quòd Confessio sit *Dolorosa, Vera, & Integra*: de quibus singillatim loquendo, sit

Conditio-  
nes eius se-  
decimæ

An omnes  
necessariæ ?

(a) Ut di-  
ctum Tr.  
10, Dist. 3.  
n. 5, 7. & 8.  
(b) De his  
vide loc.  
cit. n. 9.  
& seqq.

Reducuntur  
ad tres.

5. CONCL. I. Confessio Sacramentalis necessariò debet esse *Dolorosa*. Patet hoc ex eo: quia Confessio debet fieri cum vero dolore de peccatis, ac firmo proposito non peccandi de cætero; ut proximè dictum est *Distinct. præc. Quæst. 4. per totum*.

Confessio  
sacramen-  
talis debet  
esse Doloro-  
sa & sic

6. Ad hanc conditionem reducuntur plures aliæ ex enumeratis sedecim; ut illa, quòd Confessio sit *Humilis*; id est, ut pœnitens cum humilitate cordis, nec non & humili corporis exterioris compositione, utputà genibus flexis, & capite nudato, si vir est, neque infirmitas excuset, peccata sua confiteatur.

Humilis.

7. Item, quòd sit Confessio *Libens*; id est, voluntaria, & ut ipsa cum animo recipiendi Sacramentum peragatur. Cui tamen conditioni non obstat, quòd quis confiteatur propter obligationem præcepti, aut ad eam inducatur timore excommunicationis, infamiæ &c. dummodò adsit animus verè confitendi,

Libens.

ac recipiendi Sacramentum, & nullum aliud ex necessario requiritur deficiat.

*Discreta.*

8. Huc ulterius reducitur, quod Confessio sit *Discreta*; & hoc ex eo, quod poenitens utatur honestis & discretis verbis in sua Confessione, maximè in explicandis peccatis carnalibus. Vel maximè autem Confessio debet esse discreta in eligendo prudente atque erudito Confessario, qui sciat discernere inter lepram & lepram, ac debita remedia & consilia dare, maximè si poenitens habeat casus difficiliore.

*Corollarium.*

9. Ex quo proinde inferitur cum Bonacina *disp. 5. de Poenit. quest. 5. sect. 2. punct. 2. §. 2. num. 17.* & alijs, quod, si poenitens, dubius de contractu v. g. usurario, eligat Confessarium, quem novit esse indoctum, putans, se propter ipsius infortiam non obligandum ad restitutionem; non solum non excusetur à restitutione, verum etiam teneatur iterum confiteri. Hic enim non videtur habuisse debitum dolorem, cum firmo proposito vitandi peccata in futurum.

*Verecunda.*

10. Insuper ad Confessionem dolorosam revocatur illa conditio, quod sit *Verecunda*; hoc est, quod poenitens corde & ore debeat præferre verecundiam, ne sicut fabulam, aut historiam, impudenter narret peccata sua. Et certè, si quis cum risu proponat peccata, quomodo is præsumi poterit habere verum dolorem de peccatis suis? Unde severè talis erit admonendus, adhibitis motivis etiam gravioribus, ad eliciendum dolorem requisitum pro Sacramento Poenitentiae ritè suscipiendo.

*Lacrymabilis; &*

11. Ulterius huc spectat alia conditio, nempe quod Confessio sit *Lacrymabilis*. Non quod ad Confessionem requirantur lacrymæ sensibiles seu exteriores, quandoquidem hæc non sunt in nostra potestate; sed quia debet fieri cum lacrymis cordis, id est, cum vera displicentia, atque interno dolore de peccatis, firmoque emendationis proposito. Unde hæc particula idem importat, ac *Confessio dolorosa*.

*Parere parata, & quomodo?*

12. Tandem huc reducitur, quod Confessio sit *Parere parata*, in quantum poenitens debet accedere animo parato ad obediendum Confessario in his, in quibus tenetur ipsi obedire; puta, in acceptanda poenitentia, in vitandis occasionibus proximis peccatorum, in restitutione male ablatorum, si facultas suppetat, & huiusmodi: alioquin enim poenitens non haberet firmum emendationis propositum.

13. CONCL.

13. CONCL. II. Confessio insuper debet esse *Vera*; ita videlicet, ut nihil falsitatis, vel simulationis, aut deceptionis habeat annexum. Ad hoc pertinent quinque sequentes conditiones ex supra enumeratis; nempe, quod Confessio sit *Simplex*, id est, non ita artificiosè facta, ut aliquod peccatum occultetur, atque à Confessario non intelligatur. Item, quod sit *Pura*; tum quoad intentionem, ut non fiat ob pravam finem, utputà ob vanam gloriam, vel ad capeñdum favorem Confessarij &c. sed spe veniæ, atque ad consequendam peccatorum remissionem; tum etiam quoad explicationem peccatorum, ut fiat sine admixtione rerum, vel historiarum impertinentium. Insuper, quod Confessio sit *Fidelis*; id est, verax, & sine mendacio, de quo mox plura. Et *Nuda*; id est, non palliata, & vestita certis verborum ambagibus, quibus peccata oblcurentur, ne eorum gravitas à Confessario percipiatur, vel minus ponderetur.

11. Confessio debet esse vera, atque ideo Simplex, Pura,

Fidelis, Nuda, &

14. Et tandem, quod sit *Accusans*. Tum quia accusatio est de essentia Confessionis Sacramentalis, ut patet ex hujus definitione *num. 2.* allata. Tum quia Confessio ita debet institui, ut per eam poenitens se accuset, sibi que peccata imputet; non autem inaniter se excuset alteri ea imputando, v. g. diabolo, malis socijs, naturali complexioni &c. utpotè quæ eius liberam voluntatem ad peccatum cogere non possunt. Excipe tamen circumstantias illas, quæ speciem peccati mutant, atque ex mortali faciunt veniale; ut est indeliberatio actûs, imperfectus consensus voluntatis, & parvitas materiæ: hæ enim necessariò debent addi.

Accusans; quomodo?

15. Quæres, an mentiri in Confessione sit peccatum mortale? Resp. I. Mentiri deliberatè in Confessione circa materiam mortalem, ac necessariam, est peccatum mortale; & consequenter tali mendacio irritum redditur Sacramentum. Sic juxta omnes Theologos peccat mortaliter, & sacrilegè recipit Sacramentum, qui scienter negat se fecisse peccatum mortale, quod reverà fecit, ac necdum ritè confessus est; vel qui deliberatè dicit, se commisisse tale peccatum mortale, quod reverà non commisit; quia talis in Foro DEI malitiosè decipit Judicem, seu Confessarium, Christi Vicarium, & quidem in materia gravi, utpotè pertinente ad substantiam causæ, seu Sacramenti Poenitentia.

Mentiri in Confessione, an sit peccatum mortale?

16. Addunt Doctores, ac præsertim Bonacina *loc. cit. num. 9.* eum similiter peccare mortaliter, & invalidè confiteri, qui scien-

Quid si major numerus peccatorum exprimitur?

scienter majorem numerum peccatorum mortalium exprimit, quam reverà admittit : quia etiam talis decipit Confessarium in materia gravi. Per accidens tamen contingere potest, quandoque poenitentem circa hoc excusari à mortali ; ut si homo simplex, ac rudis, bonà fide majorem numerum fateatur, putans, consultius esse ac melius, majorem explicare numerum peccatorum, quam fortè minorem.

Vel sit mendacium circa peccatum veniale ?

17. Resp. II. Mentiri in Confessione circa peccatum veniale, vel aliam materiam non necessariam, aut quam hic & nunc confiteri quis non tenetur, non est peccatum mortale, sed veniale duntaxat. Ita Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 8. num. 15.* Bonacina *loc. cit.* aliique communiter, contra Cajetanum. Ratio est : quia, cum tale mendacium non sit circa materiam necessariam Sacramenti Poenitentiae, non decipitur graviter ipse Confessarius, seu Judex.

Declaratur amplius.

18. Excipe, dummodò poenitens non sit confessus unum duntaxat peccatum veniale, ac circa illud mentitus. Quia, cum tale veniale tunc sit tota materia Confessionis, & iuxta hypothesein falsò narrata, nulla reverà afferretur materia Sacramenti Poenitentiae, ac proinde talis graviter peccaret : nisi fortè animi perturbatio, vel scrupulus, eum excuset. Ita citati Auctores, & alij.

III. Confessio debet esse Integra & sic

19. CONCL. III. Confessio debet etiam esse *Integra*. Unde Concilium Trident. *Sess. 14. cap. 5.* docet, ac infra *can. 7.* sub anathemate definit : *In Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium esse jure Divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti prae-meditatione habetur, etiam occulta, & quae sunt contra duo ultima Decalogi praecepta ; & circumstantias, quae peccati speciem mutant.* Sed de Confessionis integritate, ex professio *Quest. seq.*

Fortis, ac

20. Ad hanc Confessionis conditionem spectat illa alia, qua dicitur, quòd debeat esse *Fortis* ; ne videlicet ob naturalem verecundiam, aut timorem, aliquid ex necessario dicendis omitatur. Unde patet, quòd ista conditio juvet ad integritatem Confessionis.

Secreta ; & quomodo ?

21. Huc accedit altera conditio, qua dicitur, quòd Confessio debeat esse *Secreta* : sic dicta, quòd ex Christi institutione ordinariè, & regulariter loquendo, debeat fieri coram solo Sacerdote Confessario ; unde & communiter *Confessio auricularis* appellatur. Nam si Confessio Sacramentalis ex Christi institutione

ne

ne non esset secreta (adeò, ut & Confessarius arctissime teneretur ad servandum Sigillum) ea hominibus foret difficillima, praesertim loquendo de peccatis occultis, & cogitationum; quin etiam parùm accommodata, ac consulta communitati Fidelium. Sed circa hanc ultimam conditionem.

22. Quæritur I. An Confessio Sacramentalis ita debeat esse secreta, ut non valeat, si fiat publicè; sive (ut alij loquuntur) An hæc conditio sit de essentia Confessionis? Resp. Quamvis Christus instituerit modum confitendi secretò, tanquam modum Confessionis regulariter & ordinariè servandum; valet tamen Confessio in casu necessitatis, aut alià de causâ publicè, seu alijs audientibus facta: & consequenter non est de essentia Confessionis, quòd fiat penitus secretò. Ita communis Doctorum. Ratio est: quia ex institutione Christi Confessio secreta ita est præcepta, ut publica nec sit præcepta, nec prohibita; prout patet ex praxi, & communi sensu Doctorum de validitate Confessionis factæ per Interpretem. Hoc ipsum clarè probant verba Concilij Tridenti. Sess. 14. cap. 5. sic docentis: *Ceterùm quoad modum confitendi secretò apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesie offensæ adificationem, delicta sua publicè confiteri possit: non est tamen hoc Divino præcepto mandatum, nec satis consulte humanâ aliquâ lege præciperetur, ut delicta praesertim secreta, publicâ essent Confessione aperienda.* Hæc Concilium.

23. Inferitur proinde cum communi, quòd quidem valida sit Confessio facta per Interpretem, tamen per se loquendo nullus teneatur confiteri per Interpretem: quia Christus non quidem prohibuit Confessionem publicam, eam tamen non præcepit. Intellige, per se loquendo: nam peccator existens in periculo mortis, qui de perfecta contritione dubius, vel non satis securus esset, per accidens obligaretur confiteri per Interpretem, ut sic unâ cum attritione, & Sacramento Pœnitentiæ justificaretur, atque evitaret æternam damnationem. Id autem fieret, non quidem ex præcepto Divino Confessionis, sed ex præcepto Charitatis erga seipsum, qua quilibet teneretur procurare salutem animæ suæ. Herincx disp. 3. de Confessione, quaest. 7. num. 91. Sannig disp. 10. de Confess. quaest. 2. num. 6. & 7. allegans Scorum 4. disp. 17. quaest. un. & alij.

Confessio, si fiat publicè, an valida sit?

Quid de Confessione per Interpretem?

Et de Con-  
fessione,  
tempore v.  
g. naufragij  
alia voce  
facta.

(c) Juxta  
dicenda n.

35 & seqq.

Confessio  
an debeat  
esse vocalis?

Saltem extra  
calum im-  
potentia?

Magna dif-  
ficultas, aut  
verecundia,  
an excuset à  
Confessione  
oretenus fa-  
cienda?

24. Infertur ulterius, quòd valida sit confessio facta ab existentibus in naufragio, vel quando tempore pestis plures in firmi decumbunt in eadem camera, etiam si ea fiat voce alta, ita ut ab alijs astantibus audiatur. In tali tamen casu, sicut & in priori, sufficit confiteri solum aliqua peccata, per quæ minus fama ejus apud circumstantes læditur; cum quandoque sufficiat integritas tantum formalis Confessionis. (c)

25. Quæritur II. Utrum Confessio debeat esse vocalis, ad eò ut poenitens teneatur confiteri sua peccata oretenus, ac proprijs verbis? Resp. I. Certum est, quòd impotentia excuset à Confessione oretenus faciendâ. Patet hoc ex communi sensu Ecclesiæ: sic enim muti, qui scripto, nutibus, vel alijs signis peccata sua exprimunt modo, quo possunt, meliori, sacramentaliter solent ac debent absolvi: & idem fit in moribundis, qui non valentes amplius loqui, signa doloris, ac petitiæ Confessionis exhibent.

26. Resp. II. Extra casum impotentia adest gravis obligatio, peccata sua oretenus, seu proprijs verbis confitendi. Patet hoc tum ex communi praxi, ac sensu fidelium; tum ex Concilio Florentino in Decreto Unionis, ubi pro parte Sacramenti poenitentia assignat *Confessionem oris*; id est, Confessionem oretenus factam, nisi forsan impotentia excuset. Huc accedit illud D. Augustini lib. *De vera & falsa poenitentia*, cap. 10. ac referatur c. *Quem poenitet. de poenit. dist. 1. præcepit Dominus mandandis, ut ostenderent ora Sacerdotibus, docens corporali presentia confitenda peccata, non per nuntium, non per scriptum manifestanda.*

27. Infertur proinde, quòd, quamvis multi Doctores, ut Suarez, Vasquez, Lugo, Layman, alique velint, non solum impotentiam, sed etiam magnam difficultatem, vel nimiam verecundiam in exprimendis oretenus peccatis, excusare à Confessione oretenus faciendâ, ac sufficere, si scriptis comprehensa tradatur legenda Confessario; quòd præsertim sufficere ajunt, quando post peccata à Confessario lecta subjungit poenitens voce sensibili, *De his omnibus peccatis accuso me &c.* Nihilominus opposita sententia, quam tenent Mastrius in 4. disp. 5. num. 475. Sannig cit. dist. 10. quest. 5. num. 3. Faber alique, sit probabilior, tutior, ac in praxi meritò tenendâ: cum eam non solum Concilium Florentinum verbis citatis, sed ipsa etiam communis praxis fidelium suadeat, & confirmet. Accedit, quòd in materia valorem Sacramentorum concernente, tutior pars sit eligenda,



Quaest. II. Quomodo Confessio debeat esse integra? 1001  
genda, ne Sacramentum sine urgente causa exponatur periculo  
invaliditatis. (d)

(d) *De di-*  
*ctis Tr. 2.*  
*Dist. 3. n.*  
*57. & 58.*

## QUÆSTIO II.

Quomodo Confessio debeat esse integra?

28. **A**dvertendum, quòd integritas Confessionis sit duplex, Integritas Confessionis duplex; materialis, & materialis videlicet, & formalis. Tunc habetur *Inte-* Formalis, quæ? gritas materialis Confessionis, quando omnia peccata mortalia necdum legitime confessata quoad speciem, & numerum, Clavibus Ecclesiæ subiciuntur, nullo prorsus sive ex oblivione, sive ex alia causa omisso. *Formalis* est, quando ea peccata Clavibus subiciuntur, quæ post diligens examen memoriæ occurrunt, & ad quæ aperienda hic & nunc pœnitens tenetur. Sive *Integritas tantum formalis* est, quando pœnitens facit talem Confessionem, qualem moraliter loquendo in talibus circumstantiis potest facere, non obstante, quòd non omnia peccata mortalia exprimantur, inculpabiliter tamen. Unde illa Confessio dicitur formaliter saltem esse integra, in qua nihil omittitur cum culpa mortali: quòd si verò non solum nihil omittatur cum culpa mortali, verum etiam omnia & singula peccata rite exprimantur, tunc Confessio non solum formaliter, sed etiam materialiter erit integra. Quando autem omittitur aliquod peccatum mortale scienter, & absque justa causa, adeoque culpabiliter, tunc Confessio illa nullatenus erit integra, sed sacrilega.

29. **CONCL. I.** Per se, ac regulariter loquendo Confessio semper debet esse integra, etiam materialiter. Ita omnes Theologi; & patet ex Concilio Trident. *cit. Sess. 14. cap. 5. & can. 7. ibi: Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure Divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant, &c. Anathema sit. Additur autem, per se ac regulariter loquendo, propter dicenda num. 35. & seqq.* Regulariter Confessio debet esse integra, etiam materialiter.

30. **CONCL. II.** Certum est, omnia peccata mortalia non dum legitime confessata. tam quoad numerum ac speciem, quam quoad circumstantias peccati speciem mutant, esse necessario confitenda. Patet hoc ex citatis verbis Concilij Tridentini, & Omnia peccata mortalia, quoad numerum,

specie, &c.  
sunt confi-  
tenda.

communi Catholicorum. Unde non sufficit dicere: *Commissum furtum, Fornicatus sum, Neglexi Missam aliquoties* &c. Sic enim non explicaretur numerus peccatorum. Sed oportet determinare certum numerum, prout præmissis debito, ac diligenti examine præsens cogitatio dicitur: v. g. *Neglexi Missam die Festo bis; Fornicatus sum tot vel tot vicibus, vel* (si non omnino sibi certo constet de numero, addat poenitens) *circiter plus minusve.*

Quid de  
simplicibus,  
graviori  
modo quò-  
dam con-  
fessis?

31. Notant tamen hic non pauci Doctores, ut Fagundez, Layman, & alij, consultum non esse, simplici plebi scrupulos injicere, illius Confessiones invaliditatis damnando, eo quòd ex ignorantia, & bonâ fide, numerum suorum peccatorum olim non ritè determinârunt: nam bona fides, atque ignorantia tales simpliciores excusare solet.

Quid si pe-  
nitens ob  
multitudi-  
nem pecca-  
torum, ne-  
sciat nume-  
rum cer-  
tum?

32. CONCL. III. Si poenitens ob nimiam peccatorum multitudinem ejusmodi certum numerum exprimere non possit, ad minimum dicat suam ad peccandum habitudinem: v. g. *continuavi tale peccatum tanto tempore, illud committendo tot vel tot circiter vicibus, plus minusve, per mensem, hebdomadem aut diem.* Ita communis; & ratio est: Quia sic jam sufficienter innotescit status poenitentis: simulque enumerantur distinctè peccata quoad numerum, quantum moraliter, ac humano modo hic & nunc fieri potest.

Corolla-  
rium de  
meretrice.

33. Cæterum quia dantur quidam casus, in quibus multum difficile est explicare numerum peccatorum, ut in publica meretrice &c. notandum cum Lugone *disp. 16. sect. 4. §. 4.* & alijs, in ejusmodi casu sufficere dicere tempus, quo quis in tali statu & consuetudine peccandi perseveravit. Sic meretrix v. g. sufficienter se accusat, dicendo se per annum omnibus, tam conjugatis, quàm solutis, tam Clericis, quàm Laicis, fuisse expositam. Quamvis quidam satis benè hoc haurient, dicentes, addi debere numerum actuum externorum in ijs speciebus peccatorum, quæ non ita frequenter occurrunt; ut quoties cum Religiosis, consanguineis &c. peccaverit: hæc enim peccata possunt facilius numerari.

Et passim  
concupiscit  
re foeminas  
obvias.

34. Et quod hic dictum est de meretrice, dicendum est de quocunque alio peccatore, in quo æqualis est difficultas explicandi certum numerum peccatorum. Unde hoc imprimis habet locum in eo, qui passim turpiter concupiscit foeminas sibi obvias: Sufficit enim explicare hanc consuetudinem, ac tempus illius unâ cum speciebus principalioribus. Idem dicendum de

eo, qui concubinam domi habuit, eaque ut propriam uxorem usus  
est; satisfacit enim, si statum & tempus explicet, addito tamen  
firmo proposito relinquendi, atque expellendi concubinam. Si-  
militer ille, qui per aliquot dies, vel hebdomadas, fovit cupidi-  
tatem gravis vindictae, vel odium, aut amorem turpem, com-  
muniter satisfacit, si dicat, se illo tempore magna diei parte, vel  
quasi per totum diem, talibus cogitationibus deliberatè immora-  
tum fuisse.

35. CONCL. IV. Quamvis per se, ac regulariter loquendo  
omnia & singula peccata mortalia, tam quoad speciem ac nume-  
rum, quam quoad circumstantias speciem peccati mutantes, sint  
Jure Divino explicanda in Confessione, ut dictum *num. 29. & 30.*  
ac proinde graviter peccat peccato Sacrilegij, indignè videlicet  
recipiendo sacramentum Pœnitentiæ, qui scienter & absque ju-  
sta causa omittit aliquod mortale confiteri: nihilominus per ac-  
cidens, & in casu quodam extraordinario, sufficit quandoque  
ad Confessionem sola integritas formalis. Ita certa, & commu-  
nis. Ratio est: quia præceptum Divinum de facienda materia-  
liter integra peccatorum Confessione, non obligat cum impo-  
tentia physica, vel morali; cum ad impossibile nemo obligetur.  
Hoc ipsum amplius patebit ex dicendis Conclusionibus sequenti-  
bus: Hinc sit

36. CONCL. V. Tres generatim sunt causae excusantes ab  
integritate materiali Confessionis, videlicet ignorantia seu ob-  
livio, impotentia, & grave damnum imminens pœnitenti, aut  
tertio, utputa Confessario. Ita in re communis; & patet indu-  
ctione.

37. Et quidem ratione ignorantiae, seu oblivionis, excu-  
santur illi, qui præmissio sufficienti examine alicujus peccati mor-  
talis non recordantur, aut illud penitus ignorant. Tenentur ta-  
men tales omnia impofterum confiteri, dummodo eorum re-  
cordentur, juxta dicenda *num. 44. & 45.*

38. Ratione impotentiae excusantur à materiali integrita-  
te Confessionis, qui laborant impotentia physica ad integrè con-  
fitendum. Sic excusatur mutus, utpote nullatenus loqui va-  
lens: qui proinde absolvi poterit, dummodo unum vel alte-  
rum peccatum per nutus explicaverit; vel, si neque hoc fieri  
potest, signum doloris de suis peccatis ediderit, v. g. percutien-  
do pectus. Quod si tamen is scribere novit, expedit, ut peccata  
sua in scriptis Confessario exhibeat: ad quod tunc eum teneri,

probabilius esse censent Doctores contra Cajetanum, Navarum, & quosdam alios.

Alia Corollaria.

39. Ob eandem rationem ignarus idioma poterit absolvi tempore præcepti, vel alterius necessitatis, etiam non integre percipiatur, si non potest haberi Confessarius linguæ suæ gnarus. An autem talis teneatur confiteri per Interpretem, si adit, dictum est superius num. 23. Rursum si poenitens inter confitendum in phrenesin incidat, vel periculum sit, ne illico moriatur, debet statim absolvi: & postea, si supervixerit, reliqua peccata audienda erunt, & absolutio denuò impertienda.

Quid agendum tempore naufragij, aut bellis instantis conflictu?

40. Hoc ipsum accidere solet tempore naufragij, aut belli, quando imminet conflictus, & Confessarius multorum integras Confessiones audire non possit. Quinimò in huiusmodi casibus, quando periculum imminens aliud non permittit, possunt omnes simul uno peccato explicato, quod minus infamat, confiteri, & à Confessario absolvi, dicendo: *Ego vos absolvo, &c.* Imò secundum quosdam (inquit Busenbaum *dub. 2. de Confessione cap. 2.*) si aliter fieri non possit, sufficeret in tali casu dicere in genere, se esse peccatorem; aut etiam (subdit Ferdin. Hauckius, *Abolutio. num. 22.*) signo aliquo, ut genuflexione, significare se peccasse: ut si Confessarius dicat, omnes qui volunt confiteri & absolvi, percutiant pectus, vel genuflectant; & tunc imminente tam gravi periculo possunt omnes absolvi à Confessario, dicente: *Ego vos absolvo, &c.* Hurtado *de Sacram. Poenit. disp. 9. diffic. 10.*

Ob solum concursum poenitentium, non licet facere dimidiatam Confessionem.

41. Cæterum extra hunc casum magni periculi imminetis, ob solum concursum poenitentium, non licet facere Confessionem dimidiatam: tenemur enim Jure Divino confiteri omnia peccata mortalia, quorum habemus conscientiam, extra casum impotentiae physicae, aut moralis; qualis in solo poenitentium concursu non adest. Et hinc merito Innocentius XI. inter alias sequentem, ordine 59. Propositionem damnavit: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium, qualis v. g. potest contingere in die magna alicujus Festivitatis, aut Indulgentie.*

III. Ratione gravis damni imminentis,

42. Tandem ratione gravis damni imminentis potest excusari poenitens ab integritate materiali Confessionis, quoties vel poenitenti, vel ipsi Confessario, ex Confessione omnium peccatorum rationabiliter timetur grave damnum spirituale, vel cor-

corporale : siquidem in tali casu censetur adesse impotentia moralis.

43. Sic fieret, quando poenitens rationabiliter timet, peccatum suum revelandum ; quod tamen in praxi vix , nec nisi gravibus de causis, est praesumendum. Item, quando foemina ex jam expertis, vel alijs causis probabilibus, metuit sollicitationem ad peccatum, si confiteatur peccatum carnis, nec tamen habeat alium, cui confiteatur ; nam tunc delicto carnis praetermissio ; possit alia confiteri. Huc accedit casus, si poenitens, vel ipsemet Confessarius, timeat tempore v. g. pestis, ne ex diutius protracta Confessione contrahat morbum contagiosum. Idem dicendum de similibus.

Corollaria.

44. CONCL. VI. In supradictis, ac alijs hujusmodi casibus, in quibus nequit fieri Confessio materialiter integra, remittuntur quidem (si caetera requisita adsint) omnia peccata mortalia virtute Sacramenti Poenitentiae, sed diversimodè : nam peccata explicitè confessa remittuntur directè, aded ut non remaneat in poenitente obligatio, illa denuò confitendi ; alia verò peccata mortalia, quorum quis vel invincibiliter fuit oblitus, vel eadem non potuit ob aliam justam causam ex supra enumeratis confiteri, solum indirecè. & cum onere eadem impostèrùm confitendi, ac datà opportunitate directè Clavibus Ecclesiae subjiçendi. Ita communis. Ratio primæ partis est : quia unum peccatum mortale non remittitur sine alio. Simulque gracia habitualis, seu sanctificans, quæ virtute Sacramenti Poenitentiae in tali casu confertur, est impossibilis cum quocunque peccato mortali ; ac proinde omne tale excludit.

Quomodo in dictis casibus remittantur peccata ?

45. Altera pars ex eo probatur : quia extat præceptum Divinum de confitendis omnibus peccatis mortalibus post Baptismum commissis ; & consequenter peccata ea, quæ antea ob casum impotentiae quis nequivit confiteri, debent postmodum datà opportunitate in proxima Confessione exponi, & directè Clavibus Ecclesiae subjiçi. Hinc merito Alexander VII. sequentem inter alias, ordine 11. Propositionem damnavit : *Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans vita periculum, aut ob aliam causam, non tenentur in sequenti Confessione exprimere.*

Peccata non confessa, debent impostèrùm confiteri.

46. CONCL. VII. Nihilominùs, qui per oblivionem, aut aliam justam causam ex supra dictis, omisit aliquod peccatum confiteri, non tenetur statim ac habuerit commoditatem, illud confiteri ; sed potest differre Confessionem illius peccati, donec

An debeant illicè postea confiteri ?

ex

ex vi alterius obligationis iterum confiteri teneatur. Ita Bonacina disp. 5. quest. 5. sect. 2. punct. 4. num. 32. post Suarez, Navarum, Filiucium, & plurimos alios Doctores. Ratio est: quia jam satisfecit præcepto Confessionis, cum re ipsa valide sit confessus. Excipitur tamen casus ille, quo quis Sacramentum Eucharistiam sumpturus, recordatur peccati mortalis omitti: nam tunc,

(e) *Suprà* si absque periculo infamiae possit denuò confiteri, tenetur præmittere Confessionem, ac peccatum illud directè Clavibus Ecclesiae subijcere, ut jam alibi (e) dictum.

## QUÆSTIO III.

De necessitate confitendi Circumstantias aggravantes, Peccata dubia &c. & præmittendi Examen Conscientiæ.

47. **Q**uæritur I. Utrum Circumstantiæ solùm aggravantes, etsi notabiliter, sint necessariò confitendæ? Pro cuius resolutione notandum, quòd Circumstantiæ aliæ mutant speciem peccati, aliæ intra eandem speciem duntaxat aggravent.

Circumstantiæ speciem peccati mutant, quæ?

*Circumstantiæ speciem peccati mutant* dicuntur illæ, quæ actus humanos transferunt in aliam speciem peccati ab ea, quam habent ex objecto suo: sic circumstantia personæ conjugatæ, vel habentis votum Castitatis, transfert peccatum carnis à specie Fornicationis ad speciem Adulterij, vel Sacrilegij, dum actui

(f) *Ut dictum* Luxuriæ superaddit novam malitiam Adulterij, vel Sacrilegij. Idem contingit in illis casibus, quando peccatum ex genere suo veniale, per accidens fit mortale, vel econtrà. (f) Et tales circumstantias speciem peccati mutant, certum est, esse necessariò confitendas; idque expressè fatetur, atque definit Concilium Trid. Sess. 14. cap. 5. & can. 7.

Circumstantiæ aggravantes, quæ?

Aliæ sunt notabiliter aggravantes, aliæ non.

48. *Circumstantiæ aggravantes* appellantur eæ, quæ malitiam actus ex objecto desumptam, intra eandem speciem peccati duntaxat aggravant, seu majorem reddunt; non autem superaddunt novam malitiam specie distinctam ab ea, quam actus habet ex objecto. Et ex his aliæ sunt notabiliter aggravantes, quæ videlicet multùm aggravant malitiam actus intra eandem speciem peccati; ut furtum mille florenorum simul ablatorum: aliæ non notabiliter aggravantes; ut furtum quinque, vel sex florenorum. Quæstio præsens præcipuè procedit de circumstantiis.

stantijs notabiliter aggravantibus ; nam omnes fatentur , circumstantias parum duntaxat aggravantes , non esse necessario confitendas. His prænotatis ,

49. Resp. Etsi consultum sit, circumstantias solum aggravantes in Confessione explicare ; nihilominus per se loquendo, nulla est obligatio , eas etiam notabiliter aggravantes confitendi. Ita D. Thomas 4. dist. 16. q. 3. D. Bonaventura, Matruus disp. 21. Theol. mor. num. 175. & communior, atque probabilior Doctorum ; licet non pauci oppositum teneant , etiam Scotistæ , eò quòd Doctor 4. dist. 17. §. De secundo , libertatem suis reliquerit , hanc vel illam sententiam tuendi. Probatur autem data responsio ; quia non est imponenda ejusmodi obligatio , nisi constet de tali præcepto : quinimò in dubijs melior est conditio possidentis ; simulque in obscuris minimum est sequendum , juxta Reg. 30. Juris in 6. cum concordantijs. Deinde tale præceptum , talisque obligatio , nullibi reperitur : quinimò Concilium Tridentinum satis clarè oppositum indicat , Sess. 14. cap. 5. & can. 7. ubi exactè tradit doctrinam de obligatione confitendi , solummodò meminit obligationis confitendi omnia & singula peccata mortalia , & circumstantias , que speciem peccati mutant ; ergo neque à nobis asserenda est obligatio confitendi circumstantias speciem peccati duntaxat aggravantes. Et hoc eò magis , quia idem Concilium cit. cap. 5. expressè subjungit , nihil aliud in Ecclesia à poenitentibus exigi.

50. Dices. Juxta Concilium Trid. cit. cap. 5. talis requiritur Confessio , ut Sacerdotes de gravitate peccatorum rectè valeant judicare , & proportionatas poenitentias injungere : atqui ad hoc necessario exigitur Confessio circumstantiarum notabiliter aggravantium ; nam aliud judicium est de gravitate mille florenorum , quàm decem , majorque poenitentia pro illo furto injungenda , quàm pro hoc ; ergo. Resp. negando minorem , cum sua probatione : nam sufficit , ut Confessarius judicet de gravitate culpæ secundum speciem suam moralem , sicque proportionatam poenitentiam injungat ; nec opus est , ut judicet de tantitate seu intensione culpæ intra eandem speciem moris. Sive (ut alij loquuntur) sufficit ad judicium sacramentale , quòd Judex sit informatus quoad omnia substantialia , inter quæ sunt circumstantiæ speciem mutant ; licet non quoad omnia accidentalia , qualia sunt circumstantiæ solum aggravantes. Nec urget , quòd unicum furtum mille florenorum æquivalcat centum

M m m m m m

furtis

Per se loquendo non teneatur confiteri circumstantias aggravantes, etiam notabiliter.

Solvitur instantia.

Confessarius quomodo debeat judicare de gravitate culpæ ?

furtis decem florenorum. Resp. enim, id verum esse in genere entis, seu physico; non autem in genere moris: nam certum est, quod priori casu unicum numero peccatum, in altero autem centum committantur.

Quid Concilium Tridentinum circa hoc statuat?

§ 1. Neque aliud vult Concilium Trident. *loc. cit.* nam sic ait: *Constat enim, Sacerdotes iudicium hoc incognitâ causâ exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie, ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent.* Hæc Concilium, inde inferens, à pœnitentibus omnia peccata mortalia, & præterea etiam has circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant. Unde, quia alitum fuit Concilium Oecumenicum de circumstantiis duntaxat aggravantibus; simulque noti juris sit, quod exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis, arg. l. Quælitum. §. denique. ff. de Fundo instructo, cum concordantiis: sequitur, per se loquendo, nullam esse obligationem confitendi circumstantias duntaxat aggravantes.

Per accidens quantum oportet confiteri circumstantias aggravantes.

§ 2. Additur *per se loquendo*. Nam per accidens contingere potest, quod quis obligetur confiteri circumstantias aggravantes: ut si certæ v. g. quantitati furci sit annexa reservatio, vel excommunicatio; nam de ea tunc debet constare Confessario, ne absque jurisdictione absolvat. Simile quid accidere potest propter annexam obligationem restituendi, cujus modum pœnitens petit sibi indicari à Confessario. Quod si hoc necesse non sit, poterit Confessarius absolute dicere pœnitenti: *Restitue, quod abstulisti.*

Quid de consuetudine peccandi?

§ 3. Insuper, quamvis non detur *per se obligatio* confitendi consuetudinem peccandi, nihilominus ea per accidens dari potest. Sic fit, quando Confessarius, ut rectum iudicium formare valeat de dispositione pœnitentis, & intelligere, an is non sit constitutus in occasione proxima peccandi, vel ipsa consuetudo non sit novum peccatum propter aliquam specialem rationem &c. interrogat pœnitentem circa hanc peccandi consuetudinem; prout explicat, & notat Joannes Cardenas in *Crisi Theologica cap. 2. ad Propositionem 58. Innocentij XI.* ubi Pontifex hanc ordine § 8. damnavit: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* Etsi enim consuetudo peccandi, post priora peccata ritè confessa, sit circumstantia duntaxat aggravans, & sic *per se loquendo* non necessariò confitenda: tamen *per*



2. III. De necessitate confitendi Circumstantias aggrav. &c. 1009  
per accidens, ob rationes prædictas, tenetur pœnitens eam aperire Confessario interroganti.

54. Quæritur II. Utrum peccata dubia sint necessariò confitenda: Resp. Probabilius est, & in praxi communiter tenendum, quòd peccata dubia sint confitenda, sub dubio tamen. Ita Herincx disp. 3. de Confess. quest. 4. & communior Doctorum, quamvis non desint oppositum tenentes. Ratio est: quia oportet peccata explicare, prout sunt in conscientia pœnitentis; ergo, sicuti peccata certa sunt sub certitudine explicanda, ita peccata dubia sub dubio. Id ipsum suadet communis praxis, & sensus Fidelium, per quem sufficienter manifestatur nobis voluntas Christi, obligantis ad Confessionem talium peccatorum.

Peccata dubia sub dubio sunt confitenda.

55. Accedit alia ratio: quia præsens Quæstio, ejusque Resolutio, procedit de dubio propriè dicto, adeò ut quis pro neutra parte habeat iudicium probabile, sed remaneat omninò suspensus, non determinando in alterutram partem, an peccaverit, nec ne; vel an tale peccatum fuerit confessus, nec ne: quod vocant *Dubium negativum*. (g) Nam passim fatentur Doctores, secùs esse dicendum de inani scrupulo, utpote ex frivolis duntaxat rationibus ortum habente: item & de casu illo, quo quis probabiliter uni parti determinatè adhæret, utputà se non fecisse hoc peccatum, vel illud jam confessum esse, quamvis remaneat aliqua formido de opposito; quia tunc licebit sequi sententiam probabilem, imò etiam practicè deponere Dubium positivum, si quod subortum fuit. Atqui stante dubio propriè dicto, seu negativo, si quis non confiteatur sub dubio peccatum, de quo dubitat, operatur cum conscientia practicè dubia, atque exponit se periculo faciendi Confessionem sacrilegam, & non integram; ergo hoc ipso peccat.

Quod intelligendum de dubio propriè dicto, sive negativo. (g) *Ut dictum Tr. 1. Dist. 3. n. 29.* Secùs de scrupulo, aut dubio positivo.

56. Nec obstat illud commune dictum: *In dubio melior est conditio possidentis*. Resp. enim, in dato casu possessionem stare pro obligatione legis de facienda Confessione. Nam certum est, omnia peccata mortalia, quorum conscientiam pœnitens habet, Jure Divino esse necessariò confitenda: quòd autem ab hac generali obligatione Legis Divinæ sit exceptum peccatum mortale dubium, necdum certò constat (imò praxis, & consuetudo piorum Fidelium oppositum habet; simulque *Consuetudo est optima legum interpret.* cap. Cùm dilectus. de Consuetud.) & consequenter possessio stat pro obligatione Legis Divinæ, ac proinde allata instantia urget in oppositum.

Solvitur instantia.

An possit, & debeat quis peccatum confiteri, quamvis Conf. illi. rius veniat in notitiam Complicis ? 57. Quæritur III. An, quando peccatum non potest rite explicari in Confessione sine manifestatione Complicis, possit, & debeat pœnitens tale peccatum confiteri, non obitante, quòd Confessarius veniat in cognitionem Complicis ? Resp. Probabilius esse, quòd possit, ac debeat ; dummodò non possit alius Confessarius adiri, simulque Complici præter solam notitiam Confessarij nullum aliud damnum eveniat. Ita D. Bonaventura 4. dist. 21. part. 2. art. 1. quest. 3. Mastrius disp. 21. Theol. Mor. num. 185. Sannig dist. 10. de Confessione, q. 6. num. 11. Suarez, Layman, & communior aliorum. Ratio est : tum quia pœnitens utitur jure suo ; & Complex, si quod dispendium famæ apud Confessarium incurrit, sibi ipsi impuret, eò quòd liberè fuerit socius talis criminis, quod sine ejus manifestatione coram Confessario explicari nequit. Nam, ut habet Reg. 86. Juris in 6. *Dammum, quod quis suâ culpâ sentit, sibi debet, non alijs, imputare.* Tum quia ex una parte Confessarius cognoscit peccatum Complicis sub sigillo Confessionis duntaxat, ac proinde non datur vera ratio infamix, parùmque vel nihil læditur fama Proximi, seu Complicis : ex altera verò parte urget præceptum Divinum integritatis Confessionis.

Quid de sententia negativa ? 58. Fatendum tamen, quòd oppositam etiam sententiam nonnulli Doctores sequantur ; ut Diana part. 1. tract. 7. resolut. 49. Navarrus cap. 7. Manual. n. 3. & alij ab ipsis citati : quia (inquiunt) præceptum non infamandi alterum, fortius est præcepto integrandi Confessionem. Sed hæc ratio non convincit : nam in multis casibus ex justa causa licet peccatum Proximi manifestare (h) etiam in Foro externo ; cur igitur id non licebit in Foro Sacramenti Pœnitentiæ, ad servandam integritatem Confessionis ? Et hinc prior Sententia merito censetur probabilior, èstque communior.

Aut si adiri possit alius Confessarius ? 59. Dicitur notanter num. 57. *dummodò non possit alius Confessarius adiri.* Nam si id potest, tenetur pœnitens alium Confessarium adire, ne sine causa proltituet bonam famam, atque existimationem Complicis apud Confessarium. Lugo disp. 16. de Pœnit. num. 391. & seqq. cum alijs. Et ob eandem causam, si Confessarius animadvertat, pœnitentem paratum esse ad nominandum Complicem circa ea peccata, quæ sine Complicis agnitione intelligi possunt, debet ipsum modestè prohibere, quin etiam, si ad particularem personam descendat, increpare ;

ac multò minùs ipsemet Confessarius curiosè inquiret de perso-  
na Complicis, uti notat D. Bonaventura *cit.* 9. 3. & alij passim.

60. Quæritur IV. Quænam diligentia adhibenda sit in exami-  
ne conscientie faciendo? Resp. I. Certum est, quòd pœnitens  
debeat priùs se diligenter examinare, antequàm Sacramenta-  
lem Confessionem peragat. Pater hoc ex sæpè *cit.* Concilio  
Trident. *Sess.* 14. *can.* 7. ubi definit, *omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, esse confitenda.*

Examen  
conscientie  
Confessioni  
præmitten-  
dum.

61. Resp. II. Talis diligentia in faciendo ante Confessio-  
nem examine conscientie adhibenda est, qualis communiter  
inter homines adhiberi solet in re feria, & quæ multum cordi  
est. Ita Scotus 7. *dist.* 17. *q. un.* §. *de secundo.* Marchantius *tom.*  
*1. Tribunalis, trakt.* 4. *tit.* 6. *q. 3.* Sannig *quest.* 5. *num.* 11. & alij. Ra-  
tio est: quia, ut loquitur Concilium Trid. *loc. cit.* sufficit *diligens  
præmeditatio*; ac proinde non requiritur strictissima & exactissi-  
ma discussio, sed sufficit diligentia moralis, sive humano modo  
facta, qualem scilicet viri prudentes in arduis negotijs commu-  
niter adhibere solent.

Qualis dili-  
gentia in  
eo faciendo  
adhibenda?

62. Resp. III. Certum est, hanc diligentiam non requiri  
eandem in omnibus. Ratio est clara: quia in hoc attendendus  
est status pœnitentis, ac tempus, quod à præterita Confessione  
effluxit. Minus enim diligentie requiritur in homine DEUM  
timente, & qui frequenter, v. g. singulis hebdomadibus confite-  
tur, quàm in alio, qui omnibus peccandi occasionibus exponitur,  
& ad plures menses, aut etiam integrum annum, Confessionem  
distulit: unde moraliter hæc res est dijudicanda.

Hæc dili-  
gentia non  
requiritur  
æqualis in  
omnibus.

63. Resp. IV. Licet Rustici quandoque inveniantur ne-  
gligenter examinati, ipsi tamen communiter non sunt dimic-  
tendi, ut se magis examinent, ac postea redeant ad Confessio-  
nem: Ita Lugo *disp.* 22. *de Pœnit. sect.* 2. *n.* 20. Vasquez, & alij.  
Ratio est: quia de ijs præsumitur, licet millies se examinent,  
non fore magis aptos, quàm si ab ipso Confessario breviter in-  
terrogentur, ac suaviter examinentur. Quando igitur Con-  
fessarius cognoscit talem defectum examinis in hominibus ru-  
dioribus, expedit, ut suâ industriâ ipsos adjuvet, suis-  
que interrogationibus eorum suppleat  
defectum.

Rustici non  
facile di-  
mittendi  
pro facien-  
do meliori  
examine.

## Q U Æ S T I O I V.

An absolvendus sit Moribundus, qui amplius confiteri non potest?

qui plura  
confiteri  
nequit, ab-  
solvendus  
est unico  
peccato ex-  
presso.

64. **C**ONCL. I. Certum est, quod possit, ac debeat absolvi infirmus, qui unum saltem peccatum confessus est, si præ infirmitate plura exprimere non valeat. Ratio est clara: quia talis jam facit Confessionem formaliter integram, etsi non materialiter, ad hanc enim in tali casu impotentia non tenetur, ut patet ex dictis *num. 36. 38. & seqq.* Et ob eandem rationem, atque juxta Rituale Romanum *num. 63.* allegandum, etiamsi poenitens moribundus nullum peccatum in particulari confiteatur, sed solum dicat in genere, se peccasse, potest is absolvi dummodo præ infirmitate nullum in particulari amplius explicare valeat.

An si coram  
Sacerdote  
det signa  
doloris, ac  
petitæ Con-  
fessionis.

65. **C**ONCL. II. Certum insuper est, quod etiam ille moribundus absolvi possit, ac debeat, qui ob amissam præ infirmitate loquelam nullum amplius peccatum in specie, neque etiam in genere confiteri potest, exhibet tamen coram Sacerdote certa signa doloris, ac petitæ Confessionis. Ratio est: quia talis confitetur modo, quo potest, meliori. Accedit Rituale Romanum, de quo infra *num. 68.*

Imò &, si  
dedit talia  
signa absen-  
te Confessa-  
rio.

Sufficit te-  
stis unus:  
de talibus  
signis.

66. **C**ONCL. III. Etiam ille, qui absente Confessario peti- vit Confessionem, ac ostendit signa poenitentiae, de quibus qui viderunt, testimonium perhibent, potest, ac debet absolvi à Sacerdote superveniente; quamvis in præsentia Sacerdotis jam sit destitutus sensibus, & nullum amplius signum exhibeat. Ita rursum communis Doctorum, propter rationes proximè allatas.

67. Porro notat Diana *part. 3. tract. 3. resolut. 5.* post Reginaldum *tom. 1. lib. 8. c. 3. n. 8.* & alios Doctores, quod in tali casu sufficiat unus testis, qui testetur de petita per moribundum Confessione. Idque jure asseritur: nam & alioquin uni testi plenè creditur, quando non agitur de alterius præjudicio; uti tradit Glossa *c. Nuper. §. Nisi juratus. de Testibus,* arg. *c. Parvulus & c. Cum itaque, de consec. dist. 4.* ubi per unum testem plenè probatur, quod quis sit baptizatus.

Ordinatio  
Ritualis  
Romani

68. **C**ONCL. IV. Generaliter quoad praxin in hujusmodi casibus ritè erit observanda ordinatio Ritualis Romani, aucto- ritate

ritate Pauli Papæ V. editi, quod agendo de Ritibus Sacramenti circa ab-  
Pœnitentiæ, sic ordinavit: *Si inter confitendum, vel etiam antequam lutionem*  
*incipiat confiteri, vox & loquela agrum deficiat, nutibus & signis conetur moribundi,*  
Sacerdos, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere, quibus ut valde no-  
*cunque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium tunda.*  
*sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.* Hactenus Rituale  
Romanum. Ubi ly, *absolvendus est*, intelligendum est de abso-  
lutione Sacramentali absolute impertienda, & non tantum sub  
conditione: nisi forte de aliquo prædictorum signorum certò  
non constet, sed dubium sit; tunc enim debebit dari absolutio  
solum sub conditione. Et hæc quidem sunt certa, & communi-  
ter inter Doctores recepta.

69. Major difficultas est de illo moribundo, qui subito in Difficultas  
phrenesi lethalem lapsus, vel apoplexiâ tactus est, aut alio casu præcipua de  
improviso ita subitanè omnium sensuum usum destituitur, ut nul- pro Christia-  
lum omninò certum signum doloris, aut petitiæ Confessionis de- no, ac su-  
derit ante adventum Confessarij, neque in ejus præsentia ob vim bird omni-  
morbi tale signum exhibeat, aut exhibere possit, interim tamen bus sensibus  
constat, eum priùs Christianè vixisse, Sacramenta frequentasse, destitutaq;  
ac probum fidelèmq; fuisse existimatum. Major, inquam, est  
difficultas, utrum talis in ejusmodi casu sit absolvendus, saltem  
sub conditione; *Si capax es absolutionis, egote absolvo* &c. Pro cujus  
resolutione, salvo semper meliori, ac præsertim sanctæ Romanæ  
Ecclesiæ judicio, sit

70. CONCL. V. In ejusmodi casu is, qui priùs Christianè & Potest talis  
piè vixit, etiam nullo dato tali expresso signo, quod ad expri- in articulo  
mendum dolorem de peccatis communiter adhiberi solet (si ta- mortis ab-  
le ob vim morbi amplius dare nequeat) potest probabiliter, tam solvi sub  
practicè, quàm speculativè, absolvi sub conditione. Ita ex Or- conditione.  
dine Franciscano Theologi satis communiter, ut Petrus Mar-  
chantius tom. 1. Tribunalis, tract. 4. tit. 4. quest. 3. dub. 7. Herincx Probatur  
disp. 3. de Confess. num. 77. qui in secunda Editione ad finem IV. hoc autho-  
Partis, post Indicem, in speciali additione subjungit quòd, ut ritate Do-  
hoc observetur in praxi, nungatur omnibus Parochis in prima ctorum.  
admissione ad Curam animarum à Consistorij Ecclesiastici  
Moguntini Assessoribus Theologis. Item Poncius disp. 46. q.  
4. num. 95. Joann. Bosco de Pœnit. disp. 7. sect. 9. concl. 6. num.  
150. Bassæus §. Absolutio num. 13. plures tum ex nostro Ordine,  
tum alios pro se allegantes. Eandem sententiam tenet expre-  
sè Barbosa in Collectaneis ad Concilium Trident. Sess. 14. c. 3. de  
Sa.

*Sacramento Pœnit. num. 2.* citans pro hac sententia Vivaldum, Antonium de Litteratis, Homobonum de Bonis, Molfetium, Carolum de Bauzio, Bartholom. de S. Fausto. Eandem sententiam probabilem censet Diana *part. 3. tract. 3. resolut. 8.* atque præter plures supra jam relatos Authores citat pro hac sententia Gregorium XV. in suo Memoriali Confessariorum, quod ediderat, quando adhuc erat Archiepiscopus Bononiensis; atque etiam Sacerdotale Romanum pag. 624. dicens, *Posse absolvi moribundum assuetum frequentare Confessionem, quamvis repentino casu oppressus Sacramentum non petierit.* Et hæc autoritates idè sufficiens adducuntur, ne videatur isthæc sententia delitui probabilitate suâ extrinsecâ, ex tam multorum doctissimorum Virorum autoritate desumptâ: quæ cum tanta sit, rationibus mox afferendis probè stabilita, non mirum est, quòd ista sententia communis in praxi observetur.

Eadem sententia probatur ratione.

71. Probatur nunc eadem sententia ratione. Quia in primis probabiliter videtur adesse in dicto casu Confessio sufficiens, qualis nempe hic & nunc fieri potest; prout patebit ex solutione objectionum. Deinde nihil mali fit in conferenda tali absolutione conditionata (eo enim ipso, quòd apponatur conditio, *Si capax es, ego te absolvo* &c. jam præcavetur omni injuriæ Sacramenti, omnèque periculum Sacrilegij evitatur) econtrà verò spes subest, quòd si non semper, saltem aliquando possit talis absolutio conditionata prodesse moribundo, eidemque interius duntaxat attrito, vi Sacramenti Pœnitentiæ cum perpetuo, atque in omnem æternitatem duraturo emolumento, gratiam sanctificantem conferre, vel augere; ergo nihil obstat, quò minus ejusmodi homo possit absolvi saltem sub conditione. Confirmatur. Sacramentum Baptismi in casu extremæ necessitatis potest, imò & debet conferri in materia dubia, vel etiam in parte dubia, utputà in digito, manu &c. si infans moriturus nondum plene natus est; ergo ob paritatem rationis, idem dicendum videtur de absolutione Sacramentali sub conditione impertienda in casu memorato: cum sit dubium inter Theologos, an non possit impertiri, imò & pars affirmativa sit multum probabilis.

Obiectio communis contra dicta

72. Obicies autem communem difficultatem contra positam sententiam. Sacramentum Pœnitentiæ necessario præcedit Confessionem sensibilem, utpote quæ est pars ipsius (i) *6. num. 10.* ergo ubi nulla est Confessio sensibilis, ibi nullum potest dari Sacramen-

11.

Quest. IV. An absolvendus sit Moribundus, qui amplius &c. IOIS  
cramentum Pœnitentiæ, & per consequens neque absolutio Sa-  
cramentalis: atqui in dato casu nulla omninò adest Confessio  
sensibilis, neque per verba, neque per signa aut nutus, uti sup-  
ponitur; ergo. Confirmatur: quia Sacramentum Pœniten-  
tiæ ex Christi institutione est iudicium sensibile; ergo ad ipsum  
necessariò requiritur accusatio sensibilis: atqui in casu posito  
nulla intervenit accusatio sensibilis; cum juxta Hypothesin Mo-  
ribundus nec dare possit, neque antea dederit signum petiti-  
æ Confessionis; ergo. Hæc est instantia principalis oppositi-  
æ sententiæ.

73. Responderur ad hanc difficultatem, atque utrumque <sup>Ejusque Cor-</sup>  
argumentum, negando subsumptum, vel istud distinguendo. <sup>lucio.</sup>  
Licet enim in casu posito, & juxta hypothesin, non interveniat  
Confessio sensibilis certa, seu verbis expressis, aut alijs signis cla-  
ris & indubitatis facta; interveniunt tamen talia signa sensibilia,  
quæ probabiliter sunt Confessio aliqua sensibilis, & pro casu istius  
extremæ necessitatis probabiliter sufficiens pro obtinenda abso-  
lutione: quamvis, quia ejusmodi signa non sunt omninò certa,  
sicque non adest clara Confessio, absolutio illa solùm sub condi-  
tione danda sit, non autem absolute. Cæterum duplici præsertim  
modo conantur Authores ostendere, in ejusmodi casu interveni-  
re, saltem probabiliter, aliquam Confessionem sensibilem.


74. Primus modus dicendi, est non paucorum Authorem <sup>Declaratur</sup>  
huius sententiæ, asserentium, quòd vita Christiana, atque Catho- <sup>sententia,</sup>  
lica, hætenus probe & publice peracta, in hujusmodi casu, ac <sup>asserens,</sup>  
extremâ necessitate talis Moribundi, sit sufficiens sui accusatio <sup>quòd in casu</sup>  
(cum alia major fieri nequeat) adeoque ex hoc capite possit <sup>su tantæ ne-</sup>  
absolvi Moribundus. Hanc suam opinionem ita declarant: <sup>cessitatis vi-</sup>  
quia ille, qui petijt Confessionem, vel saltem dedit signa petiti- <sup>ta Christia-</sup>  
æ Confessionis, potest in mortis articulo absolvi, sed homo Chri- <sup>na &c. vi-</sup>  
stianè & Catholicè vivens, hoc ipso petijt, deditque signa Con- <sup>deatur suf-</sup>  
fessionis pro mortis articulo petiti-æ; ergo. Minorem probant. <sup>ficiens Con-</sup>  
Tum quia per decursum totius vitæ Christianæ sapius, ac præ- <sup>fessio.</sup>  
sertim frequentando Sacramenta Ecclesiæ, vel faciendò con-  
suetum examen conscientie imò & devotè orando *Pater Noster,*  
vel *Ave Maria,* perly *dimitte nobis debita nostra,* vel *Ora pro nobis*  
*peccatoribus &c.* fatentur se peccatores, necuntque omnia pro fœ-  
lici horâ mortis necessaria, aut opportuna: atqui inter hæc est  
etiam Confessio & absolutio Sacramentalis in mortis articulo  
obtinenda; ergo.

So' vitur in-  
stantia con-  
tra hanc  
sententiam  
aliata.

75. Nec obstat, quòd talia non semper explicitè referant ho-  
mines pro absolutione Sacramentali in mortis articulo recipi-  
endâ. Resp. enim, ex parte recipientis Sacramentum sufficere  
etiam intentionem habitualem: atque insuper, quòd dolor ad  
Sacramentum Pœnitentiæ requisitus, possit aliquo tempore  
præcedere Confessionem, ipsamque absolutionem, jam superius  
(k) dictum esse. Quòd si urgeas, ex hoc sequi, quòd homo Chri-  
stianè vivens etiam aliàs, v. g. in somno, possit absolvi. Resp.  
negando sequelam: quia extra casum impotentiaë requiritur  
vera & integra Confessio; quam vis secùs sit in casu impotentiaë,  
& quidem extremaë, de quali nunc sermo est.

Alia Senten-  
tia, tunc ex  
signis exte-  
rioribus præ-  
sumens  
Confessio-  
nem sensi-  
bilem.

76. Alter modus respondendi ad supra dictam difficultatem  
est Marchantij *loc. cit.* & aliorum multorum, qui licet nolint ab-  
solutè concedere, vitam Christianam esse sufficientem sui accu-  
sationem ad obtinendam absolutionem Sacramentalem in tali ca-  
su impotentiaë, & mortis articulo: addunt tamen, eandem esse  
sufficiens fundamentum ad prudenter præsumendum, quòd hic  
& nunc adsit signum aliquod sensibile, quo Moribundus con-  
etur petere Confessionem, & absolutionem Sacramentalem, e-  
amque actu perat, utputà per suspiria, gemitus, aspirationes, o-  
culorum ictus &c. Etsi enim talia ordinariè sint signa naturaë  
patientis, ac doloris corporalis; nihil tamen obstat, quominus  
ea ab homine moribundo, singulariter à DEO illuminato, & interius  
contrito, acque confiteri cupiente, neque ob  
debilitationem usùs omnium sensuum externorum valente aliud  
signum desiderataë Confessionis dare præter unum, aut alte-  
rum ex supra dictis actibus, quandoque ordinentur ut signa ad  
petendam Confessionem, & absolutionem Sacramentalem. Cum  
igitur hoc fieri possit, & probabiliter quandoque fiat (prout  
sibi metipsum accidisse, citatus Marchantius testatur) poterit  
sub conditione talis homo moribundus absolvi, eò quòd ob  
vitam antea piè & Christianè peractam præsumi, ac sperari  
possit, etiam ipsum per talia signa hic & nunc petere confiteri,  
& sacramentaliter absolvi, cum alio meliori modo amplius  
nequeat confiteri, aut suum internum desiderium  
confitendi explicare.



DI-